



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1740. usque ad annum 1742

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1787

VD18 90119649

§. 68. Franciæ Regis studium pro Constitutionis Unigenitus abservantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67882](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67882)

Sec. XVIII. octava Decembris pronuntiata tanquam
A. C. 1742. irrita & nulla declaratur, damnatur de-
 creta supelectilis ac reddituum occupa-
 tio, ac severe omnibus & singulis, ne
 has Præsidis sententias in rem suam
 vertant, interdicitur; præterea cunctis
 Præsidialis Curiae Judicibus sub pæna
 amotionis ab officio inhibitum, ne
 imposterum talia attentata præsu-
 mant. Denique etiam ipsis injunctum,
 ut hoc Regii Consilii decretum tabulis
 præfatæ Curiae inserant.

§. LXVIII.

*Franciæ Regis studium pro Constitu-
 tionis observantia.*

Præter propriam ampliandæ auctori-
 tatis cupiditatem quædam Franciæ
 Parlamenta haud parum incitabantur
 a doctis quibusdam Clericis. Hos in-
 ter non infimi erant Berulliani Oratorii
 Patres, ex quibus non pauci Constitu-
 tionem *Unigenitus* ex frivolis causis cen-
 ties ac centies confutatis rejecerunt, ab
 ea provocarunt, & contempta Eccle-
 siæ Regisque auctoritate suæ appellatio-
 ni pertinaciter inhæserunt. Hujus ex-
 emplii pravitas, cum præsertim apud
 rudes oppido potens sit, Ludovici Re-
 gis pietatem, atque ardentem suam er-
 ga Constitutiones Apostolicas Zelum &
 reve-

reuerentiam adeo excitabat, ut hos Pa-
 tres serio moneret, quatenus decisioni-
 bus Apostolicis Regiisque mandatis ex-
 actius morem gererent, nec ullum ad
 generalia Congregationis suæ comitia
 admitterent, nisi paratum se ore & ca-
 lamo exhiberet ad Alexandri VII. for-
 mulam pure & simpliciter signandam, ac
 sese sincero obsequio Bullis Pontificiis,
 nominatim Constitutioni *Unigenitus* sub-
 jiceret. Præcepit insuper, refractarios
 officiis suis esse privandos. Tantum va-
 luit clementissima hæc Religiosissimi Re-
 gis monitio, ut Patrum potissimi prom-
 pto animo obtemperarent, pauci tamen
 proprii sui iudicii idolo thus offerentes,
 sese ceterorum exemplo perfracte oppo-
 suere; imo eorum aliqui ipsum etiam
 Institutum turpiter deseruerunt. At-
 tamen sicut etiã apud improbos vir-
 tus semper in magno habetur pretio, ita
 tanta illius hac in re fuit illecebra, ut
 etiam Patres Fulienses Oratorianorum
 docilitatem imitaturi in suo, ut vocant,
 Capitulo generali decretum conderent,
 quo voce actiua & passiva privandos de-
 clarabant, qui intra trimestre præfatæ
 Formulæ non subscriberent, aut Bullam
Unigenitus pure non reciperent. Ea
 observantia omnibus placuit, solum au-
 tem Parisiense Parlamentum puram
 hanc acceptationem a Patribus factam

Sæc. XVIII.
 A. C. 1742.

Sæc. XVIII.
A. C. 1742.

iniquo tulit animo, quocirca sequenti anno contra illos decretum promulgavit, quod tamen Rex per sanctionis sui Consilii sententiam irritum declaravit, præcepitque, ut Bulla in toto Regno a singulis recipiatur, & cum ea veneratione, quæ *judicio Universalis Ecclesie in materia doctrinæ* debetur, omnino observetur. Pariter urgente Arelatenfi Episcopo Patres doctrinæ Christianæ in generali suo comitio Belloquardæ celebrato dictam Constitutionem sincero animo receperunt, refractarios autem promeritis pænis, imo ipsa etiam expulsionem a Congregatione coercendos esse decreverunt. Eodem quoque anno Vaugirard Andegavensis Episcopus Suardanenses sanctimoniales Benedictinas ad liberam Constitutionis præfatæ acceptationem permovit. Lingonensis vero Episcopus ex familia de Montmorron, vivis Sacramenta, & mortuis sacram sepulturam anno 1743., in superhabita laicæ potestatis vi, denegavit: ad cujus exemplum Fantecroucensis Abbatissa præfati Præfulis Soror quasdam Moniales, quæ pari pertinacia sese Apostolicis decretis opponebant, e Parthenone ejecit.